



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **MINISTERII NOSTRI** B. M. V. IMAGO POPULARI SERMONE
«VIRGEN DE LOS DESAMPARADOS»

APPELLATA, QUAE IN SANCTUARIO LOCI V. D. «EL SALIENTE»

ASSERVATUR, SACRO DIADEMATE REDIMITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Ministerii Nostri pontificalis ab initio Virginis Mariae cultum apud Dei plebem excitandum atque adeo augendum curavimus, cum hanc reputaremus rem per se ipsam praestantissimam eandemque cum intimo animo Nostro prorsus concinere. Qua de re cum Venerabilis Frater Emmanuel C. Hervis, Episcopus Almeriensis, datis litteris die VIII mensis superioris Octobris, ab hac apostolica Sede expostulaverit, ut praeclera illa imago Beatae Mariae Virginis, populari sermone «Virgen de los desamparados» cognominata, quae in Sanctuario loci v. d. «El Saliente» pie colitur, nomine et auctoritate Nostra pretiosa corona redimiri posset, libenti quidem animo hanc facimus potestatem, in maiorem scilicet Dei gloriam inque Christi Matris laudem et ornamentum. Cum igitur res ita se habeat, ita quidem probatis quae Congregatio pro Cultu Divino de hoc negotio statuit consiliis, committimus Venerabili Fratri quem supra memoravimus, vel ei quem ipse legaverit, quo die sane placebit, munus coronandae ipsius imaginis Beatae Mariae Virginis sub titulo «Virgen de los desamparados» nomine et auctoritate Nostra, stata ac sollemni caerimonia, secundum sacrae liturgiae praexcepta. Ceterum Maria Virgo veluti Mater fidissima hos fideles dilectissimos tutos praestare velit eorumque patrocinium usque suscipiat. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIV mensis Novembris, anno MCMLXXXVII, Pontificatus Nostri decimo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1987 - Libreria Editrice Vaticana